

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johannes Corfinius

**Programma, Quo Ad Natalem Immanuelis Et Salvatoris Jesu-Christi, Sobria
devotione, & sacra sanctimonia celebrandum, Universos Academiae Cives
sedulo invitat**

Rostochii: Kilius, 1652

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734835213>

Druck Freier  Zugang



R U Progr. 1652

Aug. Varenius

Joh. Corfinius

Aug. Varenius

Joach. Stockmann

Nicol. Schütz



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn734835213/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734835213/phys_0002)



2 29

PROGRAMMA,
Qvo
Ad Natalem
**IMMANUELIS ET
SALVATORIS JESU-
CHRISTI,**

*Sobriâ devotione, & sacrâ janctimoniam
celebrandum,*

Universos Academiac Cives sedulò invitat.

RECTOR

Universitatis Rostochiensis,

JOHANNES CORFINIUS
SS. Theol. D. Moralium Professor,
& Pastor D. Mar.



ROSTOCHII.
Typis NICOLAI KILI, Academia Typogr.
ANNO M. DC. LII.

PS

Um miserrima modisq; omnibus
abominabilis Adamitica prævaricatio ad
extremas genus humanum redigisset an-
gustias, & præter temporalem æternam
quoq; & infinitam attraxisset perniciem,
immensa Conditoris φιλανθρωπία, & Ser-
vatoris χρυσός inestimabilis solamen penetrantius pro-
sedando humanorum pectorum mœrore, & angore in-
effabili non habebat, quām sacrosanctum de Semine Mu-
lieris promissum, proinde afflictissimis hoc revelabatur
Evangelium: Semen Mulieris conteret ca-
put Serpentis. Subolfecit Dæmon serpens anti-
quus, orbisq; universi seductor detestabilis. istà ratione
non solummodò primatum suum omnino pessundatum,
& caput contritum iri, sed solaminis quoque rivulos in-
finitos hinc derivandos esse in universum gen' hominū,
itaq; velut dolosis antehac technis & figmentis captio-
nis in miseriae voraginem detruserat parentes, ita dein-
ceps nunquam cessavit, ut effictis dolis & corruptioni-
bus speciosis hunc eminentissimum Evangelicum ihe-
saurum prorsus elideret, quocirca varios in scenam pro-
duxit χριστούχος qui omnem moverent lapidem, ut hoc
gratiæ & benignitatis fluentum obstruerent. Philo Ju-
dæus Allegoriam nobis obtrudere laborat, dum asserit
Temperantiam esse, quæ caput Serpentis, Voluptatis
videlicet, comminuat, quam virtutem insignem à Mo-
se adumbratam adstruit: addit præterea inter locusta-
rum genera in Lege fuisse licitum vesci animale, quod
φιομάχον nuncuparint. Sed illa recensuisse sufficiat. neq;
enim prolixiori digna erunt refutatione, cum nostrum
Sal-

SALVATOREM JESUM Unicum ἦφιμάχος esse
certissimi simus. Sunt inter Christicolarum Magistros.
qui de naturali odio serpenti cum hominibus interce-
dente hoc accipiendum esse Clasicum dictum arbitran-
tur, adeoque serpenti duntaxat animato pœnas decer-
ni; veruntamen licet promptè largiamur, serpenti quo-
que naturali quamvis ἀλόγῳ animali supplicium fuisse
immissum. (yanitati etenim subjecta fuit creatura ob
prævaricationes à genere humano perpetratas, Rom. 8.
v.20. decernebat namque hoc pro dominio suo in crea-
turas absoluto Plastes Excelsus, ut rigorosam adversus
humana delicta nemesis oculis animisq; omnium expo-
neret, unde exactè colligerent scelerum autores, haud
quaquam Numen transgressoribus parciturum, quod
tanto justitiae rigore bestiam, quæ instrumenti sup-
pleverat vices, anichac puniverat) Inficiamus nihilo-
minus odium hoc loco depingi naturale, sed rectius
affirmamus, bellum istud ἄπορον delineari, quod dein-
ceps inter Semen Mulieris & Serpentis introducendum
erat, quod ipsum non est omnibus commune, sed dissid-
uum est penitus singulare, cuius odii vestigia passim in
sacro promuntur Codice, Marth. 4.1. Joh. 3. & Apoc. 12.
Hac v. cum non succederet, aliâ Dæmon viâ rē aggreditus
est, ut hoc Evangelicum κεμῆλον depravaret & everte-
ret, sed jubar veritatis objectas facile dispulit nebulas.
Neque habet solidi quidquam fraudulenta Papicolarum
depravatio, quâ ipsum falsare textum satagunt, & ista
ad Genitricem detorquere, quæ soli in solidum adscri-
benda erant Filio, anxiè laborant; fculneis enim qui-
bus illi innituntur ratiunculis, qui robur inesse censem.
næ isti cum ratione propemodùm insanire videbuntur.
Quovis itaque auro charius esse debebat hoc spirituale
Gazophylacium, quo uti tristissimæ quondam erige-
bantur

bantur mentes, ita posteris solaminis scaturiginem pandet, præcipue si animadverterint salutiferum hoc promissum Abrahæ in primis, Davidisq; sæculo præclaris. simè fuisse illustratum, dum JEHOVA Viris sanctissimis pollicitus est juratò: *Benedictum Semen ex presopis i-pjorum proventurum*, quod ipsum non nisi de Immanuele & Servatore JESU accipiendum esse, sacer Spiritus per *de mōçoy* Paulinum testimonium abundantissimè & invictissimè comprobavit. Utinam verò nobis non esset negotium cum excetrâ, cui si unum amputayeris caput, alia protinus, & plura quidem repullulant. Non sufficiebat in fœdere antiquiori Messiae hostes offendit, qui apsu furibundo se illius funes rupturos indicarunt, & consilia agitarunt contra Immanuelē; in ipso prohdolor fœdere Novo reperiuntur, qui se Christo sacramentum fecisse fervide asserunt, immò non veritatis tantum, sed honoris quoque Messiani se propugnatores acerrimos jactitant, qui nihilo secius opere annituntur maximo, ut argutiunculis undique corrasis, hoc *όπολος μέτρα μυστήρια* evertant. Errorum cacoethes eru-*τασσε* priscos Hæresiarchas Histores sacri vulgarunt, Arrius perpetuò crepabat: *Erat, quando non erat*, unde divinitatem JESU LI collabascere autumabat; Photinus *non essentiā sed officio* duntaxat DE U Messe blasphemabat; Nestorius *nudum* fuisse hominem pronunciabat; sed illæ blasphemiarū nondum satis serpebant quisquiliæ, nisi nova viperarum progenies sepultas, damnatasq; ex orco revocaret heterodoxas opiniones, Photinianos indigito, Socinianosq; & Servetianos, qui agmine facto veritatem divinitatis destructum eunt, & quantumvis Christo honorificum DEI haud denegent nomen, anguis tamen in herbâ latitat, cum ipsum *non verum*, *sed ap-*
parem-

parentem, non naturalem, sed officialem, non proprium, sed ad-
ptivum, neque genitum, sed effectum DEUM pronuncient,
atque ista ratione summum Incarnationis Mysterium
penitus annihilare contendant. Verum istiusmodi sa-
cræ Incarnationis irrigoribus enucleatus evolvenda
sistuntur Spiritus Oracula, rationis decempeda non men-
suranda, sed fidem interim coetus Christiani solidissimè
firmantia. Constat, quod ἀλέγοντες οὐ γέγενετο, Johan. c. i.
v. 14. videlicet ἀλέγοντες Ιωάννης 1. Joh. v. v. n. (quæ vocula nun-
quam nudo tributa deprehenditur mortali) qui expres-
sæ Θεος indigitatur, Joh. i. v. i. *Caro factus est*, quæ phrasis
non fragilitatem nudam indigit, sed essentiam huma-
nam arctissimè λόγῳ unitam (illam namque voce αὐχεῖα
sæpius exprimi ex Luc. 3. v. 6. & Matth. 24. v. 22. col-
ligere promptum est) declarat. Urgendum præterea, quod
οὐρανὸς οὐκ ἀπομένει, καὶ τὸ οὐρανὸν θηλαμβάνει, αἷλλα
περιμένει. Αἰσθανται θηλαμβάνει. Pluscula ad hanc mu-
niendam afferriri poterant thesin, sed impræsentiarum i-
sta coacervare nullâ necessitatibus lege constringimur, ut
pote certiores per Scripturæ viscera ἡρόντες redditi,
veritatē Fidei nostræ orthodoxæ immoto subsistere ta-
lo. Quo v. insigniendi sint titulo ipsi Adversarii, τινες
ἐνοργητεῖαι λογοτεχνοὶ inficiantes, jamdudum cœleste Organon
aperuit, videlicet quod non sine ex DEO. i. Joh. 4. Repu-
diatis proinde infausti Socini commentis, & blasphe-
miis abominandis, quod corde credentes condimus, o-
re confitentes promere nulli dubitamus, scilicet quod fi-
dei speiq; nostræ anchora JESU ἐνσίρηται Uni-Soli in-
conclusa adhærescat.

Adest ergo pectora Immanueli devincta, vestrum
recens-natum, ea qua pars est, pietate & devotione sum-
mā contemplamini JESUM. Cum Nathanaeli revelas-
set Philippus repertum esse orbis Messiam, quo de Mo-

ses & Prophetæ singuli fuissent vaticinati, admirabun-
do animo reponebat: *Ecquid boni ex Nazareno provenie
oppido?* sed regerebat citò Philippus: *Veni ac vide:* I-
dem Vobis dictum putetis, quotquot JESU Fratri Ma-
ximo fidem obstrinxistis, *Venite, videte:* nullæ in pecto-
rum recessibus resideant dubii notæ, si quæ affuerint, re-
moveantur protinus; accelerantes intuemini magnalia
Dei, & Salvatoris Christi; adeste quæso, & quæ nunquā
antea visa fuère, nec audita unquam, vos in Mysterio
hoc stupendo vidisse non diffitebimini. Hodiè invita-
mini non ad Regum aulas, sed Christ vagientis cunas,
neque ad regale palatum, sed ad Servatoris in lucem e-
diti stabulum; Intuemini DEUM in puer, Aeternum in te-
nero, gigantem in parvulo, leonem in agno, immò Majestatem
DEI tremendam in vagiente puerulo. Non Dynastas Regesq;
palatiis suis superbientes, nevè Imperatores purpuram
& diadema affectantes vobis sistimus, sed Regem Re-
gum invictissimum in præsepi latitantem, pannis cin-
etur, fasciisq; obteatum laceratis; exactius hujus pon-
derantes mysteria nihil præter pietatem ineffabilem, ni-
hil præter humilitatem inestimabilem offendetis: *in-*
tuus fulges Majestas, sed foris conspicitur infirmitas, intus po-
tentia, foris infancia, sublimitas intus, sed foris mera clucessit
humilitas.

Nostri verò officii quid sit, quidvè præsens in-
jungat Festivitas Christicolis, scrupulose nunc qui-
dem indagare haud necesse erit, sacer etenim Nuncius
cælo delabens hoc exaq;issimè expressit, Timorem,
videlicet deponendum, Gaudiumq; concipiendum esse
demonstravit: Timoris sarcina amolienda erit, præci-
piente Chorago Angelo; Extimescere nolite, neque c-
nim more Cherubino romphæam vibratus erat cœle-
stis iste Interpres, neque occisione denuò occisurus ho-
mines,

mines, quod olim Assyriorum evenisse castris compertum est, neque maledictionis legalis tonitru postliminiò erat revocaturus, immò exilii pristini horrorem, culpæ metum, atque terrorem gehennæ extirpatum accesserat. Non ergò est, quod ullum concipiamus tre morem, trepidant increduli cum Herode persequente. Judà prodente, Hannâ iridente, Caiphà subsannante, Pilatoq; condemnante, nos metum relegaturi, namqu solatus est Jehova populum, afflictorumq; misertus: Fugiebat quondam ad auditam DEI vocem Adamus, sed cum benedictum ad sis Semen, nunc fugâ nullâ opus fuit; timoris causa aderat equidem, cum sub maledicto jaceremus miseri, sed pristina soluta est maledictio: neque est quod amplius tristemur ob emissas voces. Terra es, & in terram reverteris, namq; hodiè potius accinatur, Cœlestis conjunctus in cœlum assumeris. Exento itaque timore ad gaudium invitat Angelus, cuius ipse nuncius est omni exceptione major, quod catholicum & magnū meritò pronunciat DEI Legatus; hujus enim nec longitudo demonstrari, nec latitudo mensurari, neque altitudo poterit investigari; quo cum si universa orbis terrarum conferantur gaudia, vix arenulis marisq; guttulis erunt assimilanda. Antiquitus binî Messiae Präcones incomparabiles, (Esaiam atque Zachariam Vates hoc nomine landatos exprimo) in Veteri Testamento ad spirituale excitarunt gaudium Zionis filias; nostras quoque hoc titulo excitari animas expendamus, & ad lætitiam promissimissimus, idcirco præsertim cum Apostolorum. Coryphæus nos denuo suscitet, inflammeretq; suo Aphorismo: **Gaudete in DEO:** attamen nihil æquè gaudii motus iteratos ciebit, quam Angelica exclamatio, **Annuncio gaudium magnum.** Sed ubinam gaudii indicem? ubinam justissime requisitum offendemus cordis ardorem? Rescrixiisse hodie veneranda Antiquitatis devotionem, fervoremq; penitus deferibusse non sine luctu publico dolemus atque tristamur. Egregie in hancrem Hieronymus: Recens Christi sanguis (affirmabat) in priscorum cordi-

cordibus seruebat, sed in modernorum hominum pectoribus congelatus deser-
buit, Omnes letamur auro, nemo in DEO salutari nostro; oblivioni datus es
Domine instar demortui? Ubi fervor ille antiquus? ubi illa populi devotione? ubi
flagrans charitatis incendium? ubi indefessa laus & gratiarum actio? Hoc u-
nicum & maximum quondam fidelium erat negotium, in Domino gaudere, &
in illius exultare magnalibus. Nunc vero quid? O detestandam segnitiem! pul-
chre haec & vere prolatæ sunt à Parre Orthodoxo, & in nostra aptissimè
quadrant sœcula. Veruntamen si quid adhuc fervoris spiritualis residuum
erit, agite Christiani, de Edito JESU gaudium concipite, conceptum.
sacrâ exprimite devotione & sanctimoniam: *Exultate in DEO*, quia SAL-
VATOR Natus est, contremiscunt ad has voces auditæ dæmonis satel-
lites, obstupescunt ad istas Angeli sacri; liquefcere omnino debebat a-
nima quoque nostra ad illos sermones, spiritumq; in ipsis præcordiis
æstuaræ conveniebat. *Exultate in DEO salutari*, neque mœror obster, nam
JESUS solamen est, neque contemtus, JESUS gloria est, neque paupe-
ties, quia gaza est, neque infirmitas impedit, virtus nostra JESUS est,
neque cruciatus, idem refectio est, neque mors ipsa, vita nostra JESUS
est: nulla criminum quantitas, nulla delictorum conscientia, nullus da-
mationis horror nostram solennem interturbet lætitiam. Sacra mediti-
temini in Natalitiâ hac solennitate, & perituri mundi gaudiis, perni-
ciosisq; carnis illecebris nihil quicquam indulgeatis, multò minus (quæ
maleferiorum aliquorū non infrequens est insolentia Studiosorum)
clamoribus ac tumultu vos JESU exosos reddatis, sed in immortalis tri-
pudietis DEO nostro. Intrepide gloriemini, sed modestè, sed devote,
DEUS incarnatus, salus mea, a quo timebo? Nullus unquam propriam odio ha-
buit carnē, Spiritu adstruente, hinc prompte inferatis; *Caro es de carne*
nostre, dulcissime JESU, non negabis consanguinitatem, nunquam, nunquam
carnem odio habebis propriam. Gaudii tui primitias in ærumnosâ hâc val-
le degustamus, faxis pro tua benignitate, ut messem uberrimam pro-
ventumq; gaudii amplissimum nanciscamur in æternitate,

ut exclamat Animæ: SUFFICIT. NOBIS.

GAUDIUM, TUIUM. SALVATOR.

JESU.





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn734835213/phys_0011](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734835213/phys_0011)





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn734835213/phys_0012](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734835213/phys_0012)



CHRISTUS imperat
CHRISTUS vicit, & i
Cunctorum dominantium su
Cum quo vincere & imperare
Aut regnare, beatus is triun
Extruamus iurum aram, ac
phali, & in medio aræ hoc e
mandemus. Nunc facta salu
virtus & regnum DEI nostri
TI eñus; quia dejectus est accu
strorum, qui accusabat eos an
strum die ac nocte. Faciamus p
soluto olim Romani triumphi
in Capitolio votis gratiarum a
solemni ritu persolvebant,
ACADEMICI, qui in C
phatis, & quos CHRISTUS
tes, ut Apostolus loquitur, fid
lumus, ut ferias hasce Pascha
rum devotione & debitâ gratia
bretis. Bonam igitur militiam
conscientiam retinete, corona
tate, quam ut reportetis, opera
cum CHRISTO resurgere. C
enim resurgere vita est.



the scale towards document

Hæc